



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

II. De eodem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

Conversis re-
senter & ca-
rentibus con-
solatione cœ-
lesti quid faci-
endum.

civitatem. Sed audi quàm manifeste in his quæ sequuntur, voluntaria simplicitas & Christiana commendatur mansuetudo. *Apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahatur ab his qui comitabantur eum.* Fœlix cæcitas, qua malè quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur. Sanè quod triduo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad eos maximè pertinet, qui noviter seculo abrenunciantes, necdum in cœlesti consolatione respirant. Sustineant ergo & ipsi Dominum in omni patientia, orent sine intermissione, quærentes, petentes, pulsantes: quia exaudiet eos Pater cœlestis in tempore opportuno. Non obliviscetur eorum in finem, veniet & non tardabit. Si triduo sustinueris eum non habens quod manduces, confide quia miserator & misericors Dominus jeiunum te non dimittet.

1. Tim. 5. d

visionibus non
temerè &
præpropere
credendum;
Exemplo A-
nania.

Exinde jubetur Ananias manus imponere Saulo, sed tanquam benè eruditus, non continuò acquiescit. Vide enim si non etiam Paulus ipse doctrinam hanc deinde tradidit discipulo: *Nemini, inquit, manus imponas. Vidit (ait Dominus) virum imponentem sibi manus ut visum recipiat.* Fratres, Paulus hoc cum vidisset, non continuò illuminatus est. Nunquid non expectavit Ananiæ manum, quia venturum eum fortè in somnis prævidit? Hæc dico, charissimi, quia vereor ne quis fortè sit inter vos, qui solo se somnio præsumat illuminatum esse: nec jam æquanimiter patiatur ad manum trahi, sed ductorem sese profiteatur aliorum. Cui enim necdum administrationis cura injuncta est, cui necdum credita dispensatio, cui necdum præceptum ut videat & provideat his qui apertos oculos habentes nil vident? Quid hoc præsumere tentat, nisi quia meditatur inania, & quasi omnia vana sectatur? Caveamus ab hoc vitio, Fratres, semper, quod in nobis est, abiecti eligamus esse, & ad manus trahi, mansuetudinem & humilitatem discentes à Christo Domino: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

* *Hæc verba in Bibliis correctis includuntur parenthesi, ut sint verba Lucae historiam Apost. scribentis, hic Christo tribuuntur.*

DE CONVERSIONE S. PAULI,

S E R M O II.

CONversus est hodie Paulus, imo Saulus conversus, versus est in Paulum. Siquidem factus est tanquam Evangelicus ille parvulus, de quo *Matt. 18. a* Dominus ait: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.* Fortè enim seipsum dicebat. Nimirum ipse magnus Dominus & laudabilis nimis, ipse parvulus qui datus est nobis; nec

hec tamen magnus interim, sed parvulus exhibetur, ut seipsum faciat gratum & efficax necessariae parvitas exemplum. Ad parvulum ergo fit conversio tua, ut discas parvulus esse: tu quoque cum converteris, parvulus fias. Enimvero audi quam evidentem ipsum tibi (in quo constituit formam conversionis) parvulum manifestat, signanter ea quae sunt parvuli in seipso imitanda proponens: *Discite à me*, inquit ^b, *quia mitis sum, & humilis corde.* Gemina parvitas, humilitas & mansuetudo. Et illa interior, ista exterior parvitas: utraque tamen non parva virtus est: nempe quam parvulus ille tam magnus unicum magisterium profitetur. Hodie ergo conversus est Paulus, hodie desiit esse Saulus. Hodie factus est humilis, & mitis corde. Probat oris confessio cordis humiliatorem, dum clamat ^c: *Domine, quid me vis facere?* Magis autem probat ipsa collatae gratiae magnitudo, quae nimirum tam multa, nisi multum humili, data non fuit.

lis necessariae parvitas exemplum.

^b Matt. 11. d

^c Act. 9. a

Cæterum mansuetudo quoniam exterior quaedam (ut diximus) parvitas, & ob hoc manifestior est, tripliciter nobis in conversione hac commendatur. Triplici quidem velut ariete mansuetudo nostra pulsatur, verborum iniuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiae, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concurrere potuisse. Considerare libet quemadmodum Paulus super his omnibus in ipsa statim sua conversione tentatus, verè jam Paulus inventus sit, in hac parte verè mitis & patiens ^d: *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Durum eiusdem verbum, verbum increpatorium, plenum comminatione. Sanè quod ad corpus pertinuit, concussus est & prostratus in terram. An verò & damno quoque probatus est? Et valde. Siquidem ipsum ei lumen ademptum est oculorum, & *apertis*, ut scriptum est ^e, *oculis nihil videbat.* Experta est in his tribus & exercitata patientia Jobi quem in hac virtute opinatissimum DEUS exemplar dedit. Sed vestrae hoc industriae relinquimus vestigandum. Sufficit nos monere formam veræ conversionis magna ex parte in hac mansuetudine constitutam, ut pudeat eos qui conversi esse debuerant vel in corporum læsione, vel in damno rerum, vel (quod magis indignum est) in verborum iniuriis inveniri perversos penitus & averfos,

Mansuetudo tripliciter ariete pulsatur.

Sed ab eo Paulus illesus.

^d Ibid.

^e Ibid. *Patientia Jobi.*

